

uini quæ est pars eius quæ cum loco in se bonificat magnitudinem uini: & magnitudo uini quæ est alia pars uini cum loco in se magnificat magnitudinem uini: & ita de aliis rebus similibus istis non sunt in loco tanquam in ultima superficie corporis: sed sunt in loco in aliquo accidente: cum quo differt una pars ab alia: & una aliam continet: quoniam locus in quantum locus ita est de se ipso uel sui ipsius: sicut tempus & genus quod est de se ipso & non de alio: ut dictum est quod partes temporis sunt de tempore & tempus de se est & non de alio: uerumamen locus in quantum est accidens: & alterius uidelicet substantie in eo quod est instrumentum suum: quia locus est instrumentum cum quo una substantia aliam collocat: & una pars aliam partem in se continet: sicut calor est instrumentum cum quo ignis calefacit aquam: ideo celum primum mobile est in loco per aliquod accidens cum quo differt a celo empíreo uel alio continente eum: & in celo sunt loca plurima per accidentia cum quibus una substantia differt ab alia: & collocat aliam: & similiter una pars aliam continet: quare locus est accidentium substantie: quæ accidentia non possunt sine loco haberi: sicut quantitas tempus motus figura qualitas & cetera accidentia pertinentia ad substantiam: quia ut dixi locus in quantum sua essentia & natura est de se ipso & non habet quantitate nec mensuram: sed solummodo est instrumentum cum quo quantitas secundum suas dimensiones. scilicet longitudinis latitudinis & profunditatis potest esse: & ita quantitas est instrumentum cum quo substantia potest esse in loco: ergo sine loco quantitas esse non potest: & sine quantitate substantia non potest esse in loco: qualitates uero loci sunt lineæ positæ in figuris locorum: ut puta in circulo quadrangulo: et triangulo: ita quod sicut tempus partem presentem: et futurum sunt figuræ temporis absolute designatæ per e f g. ita figuræ loci sunt circulus quadrangulus: et triangulus. trahunt. n. e f g. sicut figuræ temporis sicut principium medium et finis: sicut etiam ascensus status: et descensus: per loca celi cum motu et cum tempore et cum a b c d. et cum bonitate et magnitudine & aliis principis: & breuiter cum omnibus qualitatibus propriis et appropriatis celo: et istis inferioribus: et secundum quod sic distant per loca celi causant transitum de uno loco in alium: et consequenter secundum quod per diuersas regiones: et climata corpora superiora sunt in illis locis celi et in diuersis: causant fortunam aut